



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm XVIII. Consuluit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

demnatus ad possessionem Actori tradendam, si à sententia appellauit & pendente appellatione spoliatur, aut turbatur, quòd agere possit interdictò recuperandæ, aut retinendæ possessionis. Sed nunquid agere potest apud Iudicem, à quo hæc est quæstio huius Capituli.

Ad quam Pontifex respondet affirmatiuè. Sed causam responsionis non adfert, putamus hanc esse, quia pendente appellatione iurisdictione Iudicis tum ordinarij, tum delegati quoad istam causam non est omnino extincta, sed suspensa, quare Iudex à quo præfigit terminum appellanti. *c. Consuluit. l. 4. h. 1. & Ordinarius appellanti in causa matrimonij sub censura prohibet, ne alteri nubat, c. 2. De matrim. contracto.* Ratio huius est, quia pendente appellatione nihil mutari debet. *l. 1. ff. in huius nouari &c.* & hoc ipsum providere, pertinet ad Iudicem à quo, vt videlicet appellationis liberior via & exitus permaneat, si in eodem statu conuiescant, donec causa appellationis decisa sit, vt hic notat *Abb. & Alex. n. 9. Franc. not. 2.* vbi addunt, quòd inhibitiò, quæ fit à lege aut Iudice ad quem, ne Iudex à quo, pendente appellatione aliquid attentet, intelligi debeat de ijs tantum, quæ appellationis causam eiusq; liberum cursum impediunt, non autem quæ adiuuant seu ad faciliorem eius exitum tendunt, dummodò se ipsi causæ appellationis secundum se non immisceant.

Corollarium. Iudex à quo, tum Ordinarius tum delegatus inhibere potest partibus, ne quidpiam attentent seu immutent appellatione pendente, atque super attentatis ordine iudiciario summarie cognoscere, & quæ malè attentata sunt, seu mutata reuocare, secundum *Gl. in Clem. 2. verb. cum lite, tit. vt lite pendente &c.*

Adde quòd etiam Iudex, si quæ pendente appellatione mutauit vel attentauit, ea reuocare possit, vt hic notat *Franc. prope finem.*

CAPITVLVM XVIII.

Consuluit.

PARAPHRASIS.

Si quis generaliter appellet super omni gra-

vamine, quod sibi inferri posset, non valet appellatio; secus si generaliter appellet super omni grauamine, quòd in certa causa inferendum esse timet.

SUMMARIUM.

1. *Grauatatus in vno articulo, potest generaliter appellare à quocunque grauamine sibi in hac causa inferendo.*
2. *Quem effectum habeat talis appellatio.*

NOT. vnicum. Qui in vno articulo. v.g. super dilationibus aut super expensis grauatur, potest generaliter appellare à quocunque grauamine ipsi in hac causa inferendo, ita vt tota ad superiorem devoluatur. Talis autem appellatio id efficit, vt tametsi Iudex à quo ipsi non deferat, tamen iurisdictione eius adeò suspensa censetur, quoad totam causam, vt justificata appellatione, omnia acta & attentata circa eandem causam, etsi articuli separati sint, seu non connexi, rescindi debeant, sicuti hic docet *Alexand. in princip. & videri possunt, quæ dixi in cap. Super eo. 10. hoc tit.*

CAPITVLVM XIX.

Cùm parati &c.

PARAPHRASIS.

Zamorensis electus Episcopus petitiones quasdam Alex. III. proposuit, quas cum Papa recipere vellet, Cardinalis Legatus Apostolicæ Sedis obiecit, eundem electum, cum à Sede ad Synodum vocatus accedere contempsisset, se excommunicasse, ipsum autem excommunicatum in Episcopum se consecrari curasse. Verum Canonicus quidam excusauit Episcopum, testando, quòd eo tempore in legatione Regis fuisset, & impeditus, quo minus accederet; Cardinalis contra allegauit, quòd Nuntius suus eum in Salamitana Ecclesia, non in Regis legatione repererit. Vterius proposuit Episcopus, quòd antelatum excommunicationem appellaret ad Pontificem, sed Alexand. III. respondet

uuu

hic.